



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Barbatianus Conf. 31. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

jam poterat. Et verò ejulatus, & comploratio totâ urbe facta aures Imperatoris exoravit, factique pœnitens, censuit ipse hoc quoque ingens scelus esse, facere scelus voluisse. Interea principum Apostolorum species dormienti oblata vocare SILVESTRVM jussit, qui sanctiores illi thermas ostenderet. Vocavit, & Christianis undis lotus, lepram corporis animique exuit. Triumphum SILVESTRO mortuo anno CCC.XXXV. cælum decrevit. Ex Baronio.

*Mittitur Virginis Filius, Filius Dei altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis sui balsamo medeatur. Agnosce homo, quām gravia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. S.Bern.serm.3.de Nat.*

## S. BARBATICANUS CONF.

31. Decembris.

**B**ARBATICANVS Sacerdos Antiochiâ Romam venit, credo ut virtus viri, & prodigia facilius inde in orbem se diffunderent. Etenim cum sub adventum suum cæcum, alteramq; oculis laborantem puellam curasset, oculos omnium in se vertit: & cum servulum Imp. Valentiniani per scalas præcipite in pedes erexit, ipsum sibi Imperatorem devinxit. Igitur à Placiâ Augustâ Ravennam deductus, auctor huic cœpit esse, ut D. Joannis, quem Euangelistam dicimus, honori templum augustum moliretur. Persuasit, & ubi ad fastigium fabrica fuit deducta, ecce ipse Divus Joannes Pontificali habitu insignis ædem sacrare visus est, & miraculi vestigium sandalium dextri pedis Augustæ relinquere. Atque hoc templum, cum illi jam totum se BARBATICANVS addixisset,

miras-

miraculis pluribus decoravit. Nam cruce (familiari jam medicinâ) & strumam à collo nobilissimi adolescentis, & à matronâ sanguinis fluxum pepulit; atque hæc cùm grata sæpius ad templum inviseret, sinistrâ suspicione ductus maritus, BARBATIANVM in templo stricto ferro aggreditur. Sed manus, pes, lingua hominis tam diu in loco obriguerunt, dum facilis etiam in hostes medicus BARBATIANVS precibus suis emolliit. Ex Ferrar.

Multum meruit de nobis Deus, qui & immeritis seipsum dedit nobis. Quid enim melius seipso dare poterat vel ipse? Ergo si Dei meritum queritur, illud est precipuum, quia prior dilexit nos, dignus planè qui redametur, præsertim si advertatur, Quis, Quos, Quantumq; amaverit. S.Bern.de Dil.Deo.

## S. COLUMBA VIRG. MART.

31. Decembris.

Innocentis COLUMBAE sanguinem qui fundere hodie poruit, an non recte hunc accipitrem dixero? Fuit hic Aurelianus Imp. qui ubi Senonas (patriam COLUMBAE) venit, illico in virginem castissimam involavit, prædamque filii amoribus servaturus, precibus, promissis, minis à Christi amplexibus virginē studuit avocare. Sed qui potuissest avelli, quæ his se tam arcte illigaverat, hedera? Ergo aut sacrificata, aut tyrannus, aut tute igne sacrificabere, nec prius quam quem maximè amas pudorem Veneri litaveris. Risit ad illa virgo, ad hæc cohorruit. Nec mora, ad lupas abducitur; & ecce, Barucha juvenis princeps audaciæ & impudentiæ irrumpit. Quid faceret inter unguis milvi COLUMBA? Gemit, & gemitus furdit

Dd 6

homi-